

B. N. C.
FIRENZE

1101

35



1101-35



1101

35



BREVE EXHORTATORIUM.
SANCTISSIMI D. N.

D. CLEMENTIS PP. VIII.

Ad omnes & singulos Abbates, Abbatissas,
Priores & Priorissas
Cisterciensis ordinis.

Pro conferendo subsidio in Cisterciensis monasterij direpti subuentionem.



ROMAE Apud Paulum Bladum, Impressorem Cameralem. M. D. XCII.

110-1. 35



CLEMENS PP. VIII.

V. N I V E R S I S Et singulis Dilectis filijs ac filiabus, Abbatibus, Abbatissis, Prioribus, & Priorissis Monasteriorum Ordinis Cisterciens. per vniuersam Italiam, Franciam, Hispaniam, Portugalliam, vtramq; Germaniam, Lotharingiam, Sabaudiam, Bauariam, Austriam, Bohemiã, Poloniam; ac per alia omnia Regna, Prouinciã, ac Dominia, ac etiam in Congregationibus Thuscie, Lombardie, Castellæ, Alcobatie, & vbicumque constitutis, Salutem, & Apostolicam benedictionem.



DILECTIONVM vestrarum Pietas & Religio, nos dubitare non finit, quin charitatis opera, quæ erga omnes proximos vestros pauperes præsertim atq; egenos, exercere diuino eloquio admonemini, eadem in subleuandis, ipsius Cisterciensis Religionis piæ matris & altricis vestræ, necessitatibus promptius & libentius sitis præstaturi. Quamobrem, etsi nulla nostra cohortatione vos ad huiusmodi officium excitandos esse cognoscimus, paterna tamen nostra, in vestram Religionem, charitas, cum ipsi, ob publicas, quibus præmimur, difficultates, vestras angustias, vt cuperemus, subleuare minimè valeamus, ad pia vestra auxilia imploranda nos impellit. Nobilissimum siquidem Cistercij Monasterium, vt nuper accepimus, in Cabiloneñ. Diocesi situm, & vniuersi Ordinis Cisterciens. caput (quod vos latere non potest, & nos non sine lachrymis reminiscimur) præsentium Gallie tumultu, & intestinorum bellorum iniuria, miserè direptum fuit, eius Templum sacris omnibus ornamentis spoliatum; quicquid in eo sacræ suppellectilis ad rem diuinam seruabatur, ad
pro-

prophanos vsus impiè translatū, vastati Agri, Castrum Gilliacense munitissimum, per prodicionem captum, dirutum, & igne consumptum: Ex Officialibus, & Religiosis viris nonnulli interfecti, alij percussi, alij capti, reliqui per fugam incolumes, exilij incommodis vexati, ipsius Monasterij redditus, per triennium & eò amplius ita occupati, vt nihil prorsus reliquum sit: ex quo Dilecti filij Edmundus à Cruce Abbas Generalis, & Monachi posthac, ali ac sustentari possint. Ad hæc Agri etiam deserti atq; inculti iacent, pötissima bonorum pars, quæ in ipso Monasterio & illius prædijs erant, tota in hæreticorū venit potestatem, Tot deniq; alia detrimenta idem ipsum Monasterium sustinuit, vt cētum millium aureorum summæ iacturam fecisse existimatum fuerit, præterquam, quòd Castrum Gilliacense vix sexaginta millibus aureorum instaurari posse, fidedignorum testimonio, cognoscimus. Vnde cum nulla super sit spes ipsius Monasterij, in pristinum splendorem & dignitatem restituendi, atq; ingentis æris alieni, temporum præsentium iniuria necessario pro præsidijs, in ipsis Monasterio, & Castro ante eorum direptionem, retinendis, alijsq; sumptibus faciendis, contracti, dissoluendi, aliorumq; onerum, & decentis eiusdem Abbatjs, & Monachorum sustentationis tolerandorum, nisi pia aliqua, ceterorum Monasteriorum eiusdem Ordinis, subleuatio accesserit. Nos pro singulari dilectione, quæ antiquissimum istum Ordinem meritò completimur, tum quod plurimorum Sanctorum fama ac veneratione est illustris, tum quod perpetuò præstantissimos viros de Catholica Religione, & Apostolica optimè meritos progeniuit; Vos vniversos & singulos paternè in Domino hortamur & monemus, vt memores Dei, de proximorum angustijs, & tenuitate subleuanda, mandatorum, filialisq; vestræ in dictum Monasterium, vnde Ordinis vestri primordia prodierunt, pietatis & obseruantix, cōueniens aliquod, & opportunum pro Monasteriorū vestrorum facultatibus, eidem

eidem Edmundo Abbati generali, quem eò commendatio-
rem habemus, quòd in defensione Catholicæ Religionis in
Regno Frâciæ egregiam semper, ac ea, quam sustinet, per-
sona, dignam operam nauauit, necnon Monachis prædictis
subsidiũ cum vestra ipsorum tum nostra etiam causa libe-
ti, promptoq; , vt par est, animo conferatis. Ex quo præ-
terquam quòd id ipsum munus, p̄rpetuum vestri in opti-
mam parentem animi, ac beneuolentiæ extabit monumen-
tum; Diuinum etiam à bonorum operum retributore Deo
præmium in Cœlis, & nostram quoq; , ac Sedis Apostoli-
cæ gratiam & benedictionem, in terris vberius promerebi-
nini. Volumus autem, vt quicquid vos ea de causa confe-
rendum duxeritis, in alios, quàm in propriæ sustentationis
eiusdem Edmundi Abbatis generalis, necnon solutionis de-
bitorum Monasterij præfati, & reparationis dictæ Ecclesiæ
vsus, conuerti minimè possit, & quòd pecuniarum summa,
quæ illius occasione, ab vnoquoq; vestrum contribuetur,
idem Abbas generalis nobis, & Rõmanis Pontificibus suc-
cessoribus nostris, rationem, & fidele computum, cum ex-
pressionẽ rerum, in quibus eas exposuerit, etiam irrequisi-
tus, reddere omnino teneatur: Vtq; præsentium transum-
ptis, etiam impressis, manu, & Sigillo dicti Abbatis genera-
lis, vel alterius personæ in Ecclesiastica dignitate constitu-
tæ, ob signatis, plena, & indubia, æquè ac præsentibus, fides
adhibeatur. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annu-
lo Piscatoris, Die xvij. Octobris: M. D. XCII. Pontifi-
catus Nostri Anno Primo.

M. Vestrius Barbianus.





